



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 121. Duo administrationis æmuli

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

testatem jamjam egressus. Ceterum do-
nec Carolus per ætatem regni haben-
nas moderari valeret, Ludovicus paulo
ante obitum suum administrationem An-
næ de Francia Filiæ suæ Comitis Bel-
lioviensis conjugii demandavit, foeminæ
ingenii acie, prudentia, animi fortitudi-
ne & constantia nulli Viro secundæ;
verbo, nullæ in ea desiderabantur dotes
ad hoc munus digne obeundum necessa-
riæ: cum vero illos, quibus ad regi-
men quoddam jus erat, imperandi cu-
piditas acriter incitasset, inde ingentes
fuscitati fuere tumultus, quos provida
Regis defuncti prudentia nullatenus an-
tevertere poterat.

Sæcul XV.
A.C. 1483.

§. CXXI.

Duo administrationis æmuli.

De suprema Regni administrandi au-
toritate contendebant inter se Lu-
dovicus Aurelianensis Dux, & Joannes II.
Dux Borbonius Bellojoviensis Comitis
frater natu major; quorum prior ad-
ministrationem sibi deberi affirmabat, eo-
quod licet ætate minor, Regi tamen de-
functo sanguine proximior esset, Borbo-
nius vero hoc jus sibi præprimis attri-
buebat, eoquod Regis Amitam uxorem
haberet, ac præterea se publicis regni
negotiis magis idoneum diceret, quam

L 2

scemi-

Sæcul. XV.

A.C. 1483.

foeminam, quæ juxta Gallorum leges cum sit regiminis incapax, etiam a regni administratione excludenda esse. Tribus hisce Competitoribus, Borbonio Ludovico, & Bellojoviensi Comitissæ cuilibet Procerum adhærebat factis, cumque eorum jura componi nequirent, litis decisio ad generalium Ordinum comitia, quæ anno sequenti habebantur remissa fuit: Interea vero temporis tres æmuli, plebis benevolentiam conciliaturi, communi consensu cunctis qui Ludovici XI. gratia ac favore postremis vitæ suæ annis abusi sunt, legum severitate plectendos decernunt. Ergo Olivarius Damus primus Regis chirurgus, homicidii atque adulterii postulatus suspendio mulctatur: Joannes Doyacum autem Parlamenti Procurator generalis duobus licitoribus in omnibus Parisiæ urbis compitis acriter virgis cæditus aure mutilatur, ac demum ei lingua cadente ferro perforatur, quo supplicio Lotetizæ peracto Montferrantium Alvernæ urbem ad natale ejus solum deducitur ubi denuo virgis conciso altera abscinditur auricula: Nihilominus Carolo VIII. in Italiam iter aggrediente, ipse tractu temporis dignitati ac honori restitutus est. Hujus Viri fatum Mezerajus quidem ad annum sequentem post celebrata Ordinum comitia revocat; nos autem

P. De

P. Danielis chronologiæ hac in re infi- Sæcul. XV.
 stimus. Denique Jacobus Cocterus a A.C. 1483.
 mortis supplicio liberatus, quinquaginta
 millium aureorum multam pendere jus-
 sus est, qui tamen postea reliquam bono-
 rum suorum partem, nemine deinceps in
 eum inquirente, satis tranquille posse-
 derat.

§. CXXII.

Maximilianus, defuncto Rege Ludovico, ditiones suas recuperare sollicitus.

Maximilianus Austriacus per Ludovici mortem potentissimo hoste liberatus, sibi persuasum habebat, sub Rege puero viribus imbecilli certam sibi parari viam ad recuperandas Provincias, quarum omnium dominium sibi jure competere contenebat. Quapropter exeunte hoc anno regii sanguinis Principibus per suos Legatos exposuit, se ad firmandum Atrebatense foedus vi adactum fuisse, nihilominus tamen velle se nuptias filiae suae ratas habere, dummodo aliae fancirentur conditiones. Dein ad suas quoque partes Ferdinandum & Isabellam Castellae Reges trahere nitebatur, pollicitus, se ad recuperandum Ruscinonensem Comitatum suppetias laturum; insuper Britanniae Ducem, cujus amicitiam o-